



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**



dubiè discernens, nova esse pro Landgravio auxilia, dum timuit, credidit, datoque illi evadendi spatio ipse fugit. Fredericus atroci vulnere faucibus Erfordiam revertitur, ubi Chirurgi operâ vulnus coalluit. Atque hac victoriâ sui juramenti votum Landgravius obtinuit, titulo Domini postea à Vinariensi honoratus, eundem præterea comitatu † exiit, paulò post eâ lege restituto, ut comite mortuo Frederico cederet, sicque potens ille Comitatus Erfordia viribus ad Landgravios devolutus est. Non tamen sine prædâ Erfurtenses pugnarunt, quibus pagus Zimmern † antea Schwarzenburgensium, isto bello cessit. Saxo præter Vinariensem Orlamundæ comitatum accepit.

\* Vix arma deferbuerant, & aliud malum Urbem excitavit. † Hermannus Comes de Stolberg in arce sua Erichsberg prædones fovit. (a) Hi vicinis, Northusæ præsertim, & Quedlenburgo graves omnia diripiebant. Querelæ ad firmatricem pacis Erfordiam deferuntur, hæc una cum Landgravii & Mülhusinorum, ac Northusæ cohortibus arcem, & in eâ prædones obsidet. Nulla iis nisi in victoria spes, quâ non obtentâ, non supererat turpissimæ mortis effugium, nisi ut manu hostium in pugna caderent. Igitur tam feroci audaciâ se defenderunt, ut, an homines oppugnarent, ancipites essent obsiden-

G 3

tes.

Comitatus  
Vinariensis  
& Orlamundæ  
Landgraviatus  
accedit.

Erfurtenses  
Zimmern  
accipiunt.

VIII.

\* MCCCX  
LV.  
Erichsberg  
expugnant.

(a) MS. Chronica Erfurt. & Rivander hoc anno.



tes. Tandem undique solito istius temporis oppugnandi more scalæ admoventur, prædones cœdibus imminuti; dum hîc ascendentes deturbant, alibi impares sunt. Superato muro adhuc pugnarunt, ne vivi caperentur. Viginti eorum capti ex arboribus circâ arcem suspenduntur, (a) Comes autem cum equite Werterdensi capite plexus, arx ipsa solo æquata.

IX. Bellum hoc majoris momenti controversia excepit. \* † Salzam urbem (b) jam  
 #MCCCXL  
 VI. ab aliquot sæculis Mogantina Sedes nobilibus ejusdem nominis in feudum concesserat, relicto solum ibi Præfecto, qui vicinos pagos, & illam ditionem administraret. Moriebatur hoc anno Dominus de Salzâ tribus filiis beatus. Hæreditatis divisio fratrum concordiam rupit, nec convenire poterant, solidum singuli patrimonium cupientes. Auctâ discordiâ fratrum alter Landgravium accedit, ac eum litem vendit. Nec mora: Adest hæreditatis emptor, ipsamque Salzam aperiri sibi per nuncios flagitat. Cives cum Præfecto Moguntino aditum negant: Esse Urbem Moguntiaë feudum, nec absque ejus consensu alienari posse. Nihil ergo per vendi-

(a) Peccensteinus in *Theatro Saxonico* pars. 3. cap. de Noribus. Becherer in *Chron. Thuringiæ & Rivander*.

(b) MS. *Chron. Erfurt. & Rivander* hoc anno. MS. *Chronica Pictrensis*.